



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quæ sunt doctrinæ dæmoniorum. tit. 230

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

illorum scriptis, quia Spiritus sancto inspirati locuti sunt, 2. Pet. 1. At cum in concilijs etiam ad sit Spiritus sanctus, loquens & diffiniens, Act. 15. ergo non debet dici traditio, aut doctrina humana, quod sanctorum in concilijs.

*QVAE SVNT DOCTRINAE  
demoniorum.*

TITVLVS CCXXX:



PRIMO, doctrina diabolica est, quae trahit hominem à fide Dei & dilectione proximi, sicut doctrina Luciferi fuit, qui voluit esse Deus, Esai. 40. & se à Deo cum suis adhaerentibus auertit. Sic erat doctrina serpentis, ne Deo obedirent, sed eos fore Deos Genes. 3. Sic erat doctrina Antiochi, 1. Machab. 1. ut homines ad cultum idolorum traheret à vero Deo. Sic inquit Paulus 1. Timotheū. 4. quod in nouissimis diebus discedent quidam à fide scilicet Dei, quod hic solus iustificat, & attendent spiritibus erroris, id est, falsis praedicatoribus ac doctrinis demoniorum, id est, quae à fide Dei auertent, dicentes, quod humanae traditiones, praecipua & opera in cibo potu vestitu non fieri vxoratum, & quae sunt in cultibus alijs humanis & caetera, iustificent hominem & saluent, & sic seipos volunt iustificare & saluare, & sic in hoc derogatur Christo, retrahuntur homines à fide scilicet illa, quod Deus propter Christum iustificat fide, sine caeremonijs & operibus legis, Roma. 3. ob id dicuntur doctrinae demoniorum.

Secundo, sic inquit Christus Matth. 15. quod gratias colunt me mandatis & doctrinis hominum, quae ego dico, hic cultus mihi non placet, cui honor tribuitur, scilicet quod saluet & iustificet. Nam gloriam meam alteri non dabo, Esai. 42. At quando caeremonijs, traditionibus, cultibus datur haec gloria quod saluet, non iustificet.

afficient, quod solum meum est officium, propter me  
 ipsum, tunc mihi furantur gloriam meam, & idè  
 gratis colunt me, id est, non impetrabunt iustitiam,  
 & in hunc finem vbique humane traditiones arguun-  
 tur, Coloss. 2. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 4.

Tertiò, Paulus Roman. 14. quando dissentiebant  
 fideles de esu carnis & de differentia dierum, &c. vbi  
 quidam tribuebant salutem & iustificationem huius  
 modi operibus, aliqui è diuerso docebant libertatè,  
 vt inquit Paulus: Regnum Dei non est cibus nec po-  
 tus, id est, non sunt causa iustificationis, sed iustitia fi-  
 dei in Christum, pax de redemptione & gaudium de  
 natura beatitudine consequenda, &cætera. Mandu-  
 cans ergò non manducantè non iudicet, vt charitas  
 nõ frangatur fratris, pro quo Christus mortuus est.

Quartò, Alia autem res est, quandò fides prelucet,  
 & tunc propter ordinem omnia fiunt honestè, quate-  
 nus charitas & vnitas conseruetur, & hoc docet Apo-  
 stolus 1. Corinthiorum. 14. scilicet, quòd omnia fi-  
 ant in nobis honestè & secundum ordinem. Hic obe-  
 dientia superiorum Ecclesiæ habetur, quæ Deo pla-  
 cet, sicut etiam contemptus displicet, Romanorum.  
 13. Sic Paulus iubet obseruare traditiones suas, 2. Tes.  
 3. & est decretum Apostolorum & seniorum concilij  
 Hierosolymitani, Actor. 15. & 16. & Christus iubet au-  
 dere Ecclesiam, Matth. 18.

*AN VITA MONASTICA*

*saluet.*

TITVLVS CCXXXI.

**P**RI Mò, in vita monastica duo sunt: Pri-  
 mò, fides in Christum, in qua sunt bap-  
 tizati, acceperunt remissionem peccato-  
 rum; Spiritum sanctum, & omnia sacra-  
 menta ante monasticè. In hac fide Chri-  
 sti & communionem sacramentorum, omnes vnum su-  
 mus